Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tenebris · floridum diei lumine
suscipies · atque ut post glaciale
frigus hiemis transeuntis · aurea
tempora tibi et serena succedunt ·
ut omnibus qui pro Christi amore af-
fliguntur · preparas temporalem leticiam ·
et ipsa tandem consequaris eternam ·
Vale in domino et ora pro me · Hanc
epistolam legens Anastasia ·
fortiores fidei vires accepit ·
et cepit tantum de patria gloriari · quan-
tum prius de oppressione infidelium
causabatur affligi · Interea dum ista
geruntur publius in senatu sedens ·
legationem accepit mittitur ad per-
sidis provinciam prefectus · Tunc
vir suus tristis sancte Anastasie tri-
plicavit custodiam · et posuit illi
custodem unum ex parasitis suis ·
qui illi et lucem ipsam negaret et
victum · Agebat namque ut Anasta-
sia moreretur · et ille omnium fa-
cultatum eius dominus permaneret · Veritus
autem ne eo absente Anastasia
eadem faceret que solebat · consti-
tuit ei custodes acerrimos · super
quos unum ex parasitis suis ·
quem supra memoravimus nomine comasi-
um · et ita profectus est · Qui dixit ·
Si eam vivam invenero · omnes vos
puniam · Igitur cepit rogare Ana-
stasia · ut aquam ipsa ei pro miseri-
cordia tribueret · Tunc igitur estim-
ans se in ipsa tribulacione defice-
re scribit ad Chrysogonum in his ver-
bis epistolam · Confessori Christi Chri-
sogono Anastasia · Quia finis
venit corporis mei · ut vitam meam
ipse suscipiat · pro cuius amore ista
sustineo · quem ex ore huius animale

recognoveris · Ad hec sanctus Chri-
sogonus talia remisit scripta · Chri-
sogonus Anastasie · Semper est ut
lumine tenebre antecedant · Sic
et post infirmitatem salus revertitur ·
et vita post mortem promittitur ·
Uno fine concluduntur et adversa huius
mundi et prospera · ne vel tristibus
desperatio vel letis elatio dominetur ·
Unum mare est in quo navicula
corporis mei velificante sub uno gu-
bernatore anime mee nautico funguntur
officio · Quorundam igitur naves
fortissimis carinarum nexibus soli-
date · tenebrosi equoris concitos
fluctus illese pertereunt · quorundam
vero fragili iunctura lignorum et
etiam in tranquillo vicinum morti
conficiunt cursum · Opus est enim ut pereant
qui non cogitant ut in portum salu-
tis attingant · Tu autem o Christi irre-
prehensibilis famula crucis Christi
tropheum constringe · et te pro ipsam
ad opus dei prepara · in quo de votis tuis
desideriis dum perveneris cum marti-
rii palma ad Christum attingas ·
Tunc accipiens hanc epistolam Ana-
stasia confidens quidem erat Christo ·
sed custodum violentiis subiacens
ingemiscebat · Interea tribus evolutis
mensibus corpus publii revocatum est
nave · et omnes qui eam custodie-
bant per diversa fugerunt · Egressa
ergo sancta Anastasia libera pergit
ad Chrysogonum · et omnia que ei
acciderunt cum gaudio lacrimabiliter
refert · Venditis igitur omnibus fa-
cultatibus suis · vilissimo satis ha-
bitu carceres circuivit · ac etsi ocu-
los suorum circum agens · ita famulorum